



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quod non est dictum illud per causam Deus charitas est: sicut illud, Tu es  
patientia mea, & spes mea. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



tas, quæ dicitur & Deus & ex Deo? Ita enim ait  
 Ioan. Dilectio ex Deo est. Et paulo post: Deus dile-  
 ctio est. vbi manifestat se eam dilectionem dixisse Deum,  
 quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio.  
 Itē in eodem: Ioannes volens de hac re apertius  
 loqui: In hoc, inquit, cognoscim⁹ quia in ipso ma-  
 nemus, & ipse in nobis. quia de spiritu suo dedit  
 nobis. Spirit⁹ itaq; S. de quo dedit nobis, facit nos  
 in Deo manere, & ipsum in nobis: hoc autem facit  
 dilectio. Ipse est ergo Deus dilectio. Ipse igitur si-  
 gnificatur vbi legitur, Deus dilectio est: Ex his er-  
 go apparet, quod spiritus sanctus charitas est.

*Quod non est dictum per causam illud: Deus charitas est:  
 sicut illud, tu es patientia mea, & spes mea.* E

SED ne forte aliquis dicat illud esse dictum per  
 expressionem causæ, Deus charitas est, eo scilicet  
 quod charitas sit ex Deo, & non sit ipse Deus: sicut  
 dicitur, Deus nostra patientia est, & spes, & non  
 quod ipse sit ista, sed quia ista ex Deo sunt: occur-  
 rit Aug. ostendens hoc non esse dictum per causam,  
 sicut illa in xv. lib. de Trinit. dicens. Non dicturi  
 sumus charitatem non propterea esse dictam Deum,  
 quod ipsa charitas sit vlla substantia quæ Dei di-  
 gna sit nomine, sed quod bonum sit Dei: sicut di-  
 ctum est Deo: Tu es patientia mea. Non vtiq; ideo  
 dictum est, tu es patientia mea, quæ Dei substantia est no-  
 stra patientia, sed quia ab ipso nobis, est.  
 Vnde alibi: Ab ipso est patientia mea. Hunc enim  
 sensum facile refellit scripturarum ipsa locutio.  
 Tale est enim: Tu es patientia mea: quale est: Do-  
 mine spes mea, & Deus meus misericordia mea:  
 & multa similia. Non est autē dictum, Domine cha-  
 ritas mea, aut tu es charitas mea, aut Deus chari-  
 tas mea, sed ita dictum est: Deus charitas est, sicut  
 dictum. Deus spiritus est. Hoc qui non discernit  
 intellectum à Domino, non expositionem querat  
 à nobis. Non. apertius quicquā possum⁹ dicere,  
 Deus

1. Ioan. 4.  
 ad finem c.  
 17. eiusdem  
 lib. 15. de  
 Trin.

Eodem cap.  
 17. paulo  
 inferius.

Ad princi-  
 pium ca. 17.

Psalm. 71



Deus ergo charitas est. Ex prædictis clarescit, quod Spiritus S. charitas est, qua diligimus Deum & proximum, unde facilius est nobis ostendere quomodo Spiritus sanctus mittatur vel detur nobis.

*Quomodo Spiritus sanctus mittatur vel detur nobis.*

*In fine c. 17.*

TVNC n. mitti vel dari dicitur, cum ita nobis est, ut faciat nos diligere Deum & proximum: per quod manemus in Deo, & Deus in nobis. Unde Aug. hunc missionis modum insinuans in xv. li. de Trin. ait: Deus Spiritus S. qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum & proximum, & ipse dilectio est. Non enim habet homo unde diligat Deum, nisi ex Deo. Ecce quomodo datur vel mittitur nobis Spiritus sanctus secundum quod dicitur datum, siue donum. Quod donum commendat Aug. explanans aperti<sup>9</sup> quomodo detur, in eodem libr. Dilectio, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, ut ait, Apostolus per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Nullum est isto dono Dei excellentius. Solum est quod diuidit inter filios regni, & filios perditionis. Dantur & alia per Spiritum munera, sed sine charitate nihil prosunt: Nisi ergo tantum impartiatur cuiquam Spiritus S. ut eum Dei & proximi faciat amator, à sinistra non transfertur ad dexteram. Neque Spiritus S. proprie dicitur donum, nisi propter dilectionem; quam qui non habuerit, etsi loquatur omnibus linguis, & habuerit Prophetiam, & omnem scientiam & omnem fidem & distribuerit omnem substantiam suam, & tradiderit corpus suum ita ut ardeat, non ei prodest. Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem tanta bona perducunt. Ipsa vero dilectio vel charitas (nā vni<sup>9</sup> rei nomen est utrumque;) perducit ad regnum. Dilectio ergo, quæ Deus est, & proprie ex Deo est, Spiritus S. est, per quem diffunditur in cordibus nostris Deus charitas, per quem

*Cap. 18. lib. eiusdem. 15. de Trin. in principio.*

*Ibid. paulo inferius.*